

esse fere infinite magnam, si conferatur cum mutua globorum attractione, quæ proinde tantilla, est ut sentiri nequaquam possit. At si tanta sit corporum massa ut cum ipsa quantitate materiæ in terra, satis magnam habeat rationem, jam sub sensu cadere poterit attractio. Magna observationum subtilitate hanc attractionem expertus est D. Bouguer unus ex doctissimis Parisiensibus academicis, qui laboriosum æternaque fama dignissimum iter aggressi sunt ad definiendam telluris figuram. Prope ingentem montem in Peruvia, qui dicitur *Chimboraco* pendulum constituerat vir clarissimus; observavit autem flum penduli septem minutis secundis cum dimidio a perpendiculari aberrare, ab ipso scilicet monte attractum. Quo autem artificio & quanta diligentia usus fuerit D. Bouguer, legere est in eximio opere de figura telluris. Quod autem spectat exemplum magnetis & ferri, ad præsentem casum trahi non potest. Agitur enim de attractione universali, attractio autem magnetica est alterius plane generis, & ad magnetem ferumque duntaxat pertinet. Hæc pauca dicta sunt de attractione universali, quæ quidem ex rota hujus capituli serie magis ac magis intelligetur, sed confirmabitur maxime, dum suo loco astronomicum systema explicabimus.